



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Necessitate Et Modo Ministrandi Sacramenta Tempore pestis

Chapeauville, Jean

Mogvntiæ, 1612

4. An peste infectus si à parochō & alijs simplicibus sacerdotibus deseratur, nec suæ co[n]tritioni & conscientiæ satis fidat possit sacerdoti aliunde vocato numerare pecuniæ summam pro ministratiōe ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-41077

fectu iurisdictionis. Quamuis hic monendi sint sacerdotes, ne facile hinc excusationem caprent non absoluendi, quod pastor non longe forte absit, & statim superuenturus sit, quia si dubites an superuenturus sit legitimus confessarius, debet se inclinare in tutiorem partem, ut ægrum absoluat, ne nimium expectando æger moriatur sine sacramento, uti ex dictis huius Tractatus patet.

Q V Æ S T I O I V.

An peste infectus, si à Parocho & aliis simplicibus sacerdotibus deseratur, nec suæ contritioni & conscientie satis fidat, possit sacerdoti aliunde vocato numerare pecuniæ summam pro ministratiōe huius sacramenti.

Quæstionis explicatio.

Diximus superiori capite, licere numerare pecuniam pro ministratiōe baptismi; quæritur, an eodem modo liceat numerare pro ministratiōe huius sacramenti, hoc est, sacramentalis absolutionis, si nullus sit, qui absolvere velit, propter iniquum & avarum sacerdotem, qui aduertens anxietatem peste infecti, non vult ministra-

o s

re sa-

218 DE NECES. ET MOD. MINIST.
re sacramentum, nisi numerata notabili
pecuniæ summa?

Responsio.

Licet peste infecto numerare certam pecuniæ summam sacerdoti aliunde vocato, si nullus sit, qui gratis sacramentum ministrare velit, non quasi pro pretio æquivalenti ipsius sacramentalis absolutionis, sed pro redēptione vexæ & periculi, in quo considerat se constitutum, si moreretur sine reali perceptione ipsius sacramēti. Probatur iisdem argumentis, quibus ante probatum est, posse pecuniam in tali casu numerari pro habendo baptismo: si enim ille potuit excusari, qui erat in extrema necessitate baptismi, & hic poterit qui est in simili pœnitentiæ, quia, ut ponimus, non audeat confidere suæ contritioni, nec potest aliter obtinere absolutionem sacerdotis.

Dices: Quid si sacerdos ita iniquus sit, ut nolit ministrare sacramentum, neque absolvere, nisi peste infectus fateatur, se dare illam pecuniæ summam, veluti pretium ipsius sacramentalis absolutionis, poteritne id facere?

ꝛ Non poterit, quia cum petat pecuniam in apertum contemptum religionis, nõ potest ei mos geri.

Dices

Dices secundò: Si non petat in contemptum religionis, sed ex avaritia, tenebitur licet affectus illam dare?

R. Tenebitur, aliàs enim videretur pecuniam præferre suæ saluti: sed sacerdos ille præterquam quod sacrilegium gravissimum committit, teneretur ad illius restitutionem: Ita (a) Lessius.

a De iust &
iur. l. 2. c. 35.
dub. 7.

Q V Æ S T I O V.

An etiam possit conducere sacerdotem nominatim præcisum, hereticum, degradatum, suspensum, interdictum vel etiam ipso iure ob manifestam Clerici percussorem excommunicatum.

Quæstionis explicatio.

SI non defuerunt, qui negarent, huiusmodi sacerdotes ne baptismum quidem qui maxime necessitatis est, ministrare posse: non mirum, si sint qui hoc ipsum de sacramento pœnitentiæ negent, præsertim quod sacerdotes præcisi iurisdictione vel eius usu qui ad hoc sacramentum plane est necessarius, careant: Horum ergo occasione quaeritur, an peste infectus, sicut præmissum est derelictus, possit vel etiam teneatur huiusmodi aduocare, pro impetranda absolutione, si